

Hi sane populi historiis & origine propria neglectis, in earum prorsus oblivionem tandem venire; cum verò eadem investigandi, & scriptis commendandi studio teneri coeperunt, in crassos errores prolapsi sunt; & levibus quibusdam confusæ incerteque, quam servaverant, traditionis vestigiis ducti & nobis inanes fabulas transmisere.

Galli, Germani, alique populi suorum Deorum, Semideorum, Heroum, & Regum genealogias, & Religionis ritus memoriam mandantes, Annalium & Scripturarum defectum supplementum iri putarunt; verò oblivionis periculo, memoriam variationibus, vicibus ex hominum morte, bellis, ceterisque eventibus, quibus humana necessariò sunt obnoxia, consequentibus, nonnisi imperfectè occurrunt. Illud itaque experientia compertum, ea omnia, quæ Druidæ & Bardæ vel suæ vel alumnorum memoriam commiserunt, oblivione tandem ita deleta esse, ut eorum nihil ad nos usque pervenerit.

Per pauca monumenta, quæ sæculorum vetustati, & Barbarorum, ac Romanorum armis superfuere, quædam nempe simulatorum fragmenta, & nonnulli Gallorum nummi ad eas historias nobis nil prorsus conferunt. Quo etiam loquerentur idiomate, omninò ignoramus, quòd literarum & scripturarum (i), per quas id, & hujusmodi cætera ad posterum tunc transvehuntur, consuetudinem neglexerint. Quædam Gallici idiomatis reliquæ in Britannia inferiori, & in Vallia adhuc superstites creduntur; quæ cum veteribus scriptis monumentis non innitantur, neque eorum dignoscendæ historiæ conducunt. Quæ de iisdem à Græcis & à Romanis percepimus, & per pauca sunt & imperfecta.

Egyptii & Æthiopes, qui hieroglyphicis suorum Principum gesta designabant, nihil contra oblivionem valuerunt, quamvis eorum memoriam ære & marmore commendarent; hoc enim loquendi genus mysteriis plus nimio obvolvitur. Alia quidem etiam faciliò, certiorque scribendi methodo utebantur; verùm hæc scriptiones, quemadmodum & vetus Ægyptiorum idioma, omninò periire; rarissima autem ejusdem idiomatis monumenta, quæ vel invitis barbaricis sæculis inoffensa supersunt, à nemine legi valent, aut explicari. Græcum idioma in Ægyptum à Ptolemæis invehum, linguam & veteres ejus regionis characteres sensim deleuit. Vetustas Palmiræ, & Persæpolis inscriptiones omninò ignoramus; & nisi Samaritani Pentateuchum veteribus Hebraicis characteribus exaratum servassent, Phœnicia, & Israelitis usque post Babylonicam captivitatem familiares, literæ nos omninò laterent. Nemo est qui Punicos characteres, & earum regionum nummos explicare valeat. Quamobrem, quòd Sacri Hebræorum Libri exiliis, bellis, ceterisque, quibus infelix hæc natio assidue pressa est, calamitatibus invitis, ad nos usque inoffensi pervenerint, ad Divinam Providentiæ miraculum referendum arbitramur.

Græci & literas & scribendi artem à Phœnicibus accepere (k), de qua se à Cadmo eruditos serunt; eos verò scribendi consuetudine nonnisi serò usus scimus. Homerum Poema suum minime scripsisse, sed tantum memoriâ suggerente per partes cecinisse, quod deinde Rapsodi, seu Cantores memoriæ commissum referent, postremò scriptis fuisse commendatum, Josephus testatur (l). Vetustiores Græciæ Historicos Perfarum adversus Græcos bellum parum prætergredi constat. S. Clemens Alexandrinus primum Græcorum Scriptorem Anaxagoram tuetur (m); Themistius Anaximenes statuit (n), ante quem, subdit, Libros scribere probro ducebatur. Plinius (\*) Cadmum Milesium Græcorum historias primò scribere aggressum defendit. Fabulis & Poesi diu ante quàm Historiæ & Philosophiæ, juxta Strabonem, (o) cultus adhibitus. Priores Historici, ut populo commentis assuetò pergratas historias redderent, eas fabulis interfervere. Quare & Homerus bellum Trojanum fabulis instruxit, & Poesicos voluptate cumulavit.

Inter fabulas, quibus vetus historia obducitur, veritatis quidem vestigia à nobis detegi, ultrò fatemur. Quot verò præclarè gesta Poetarum commentis omninò obruuntur? Ipsas quoque historicas veritates, quas per fabularum velamina prospicimus, quoniam lumine distingueremus, nisi Divinæ nobis præsto essent Scripturæ, à quibus ingenue & sine furo res exhibentur? Earundem utique auxilio in Saturno Noe, Sem in Plutone, Smi, & Typhone, & in Neptuno Japhetum dignoscimus. Moyses cum Noe à Cham ejus filio natu tertio nudum inventum narrat, Saturni ab Jove mutilati fabule originem profert. Neptunus Oceani Deus Japhet populorum, qui Gentium Insulas incoluerunt [p]; patrem designat. Per Saturnum & Rheam, Adam & Eva, seu verum Noe cum conjugè inducuntur. Gigantes, qui Jovi bellum intulerunt, & Cælum aggressuri montibus imposuere, eos exhibent, qui Babelicæ turri construendæ incubuerunt.

Iisdem & Osiridem in Ægypto, Venerem & Adonidem in Phœnicia, Cyniram Adonidis patrem ab Apolline victum, Europam raptam, & Andromedam expositam, & ab interitu vindicatam, fabulas quidem singulas scimus, quæ veris historiis alludunt. Aurea, argentea, & ferrea ætas, & veterum Græcorum Chaos ab us repetuntur historiis, quas à Moysè accepimus. Hiriæus, qui Jovi & Mercurio itinerantium specie vagantibus bubulum tergus obtulit, Abrahamum refert, qui Angelos excepit, & Deo favente ab uxore Sarâ filium suscepit. A Baccho Moyses, à Mercurio Aaron, Samson ab Hercule exhibentur. Ingenio plus nimio valere se Veteres affectarunt; ænygmatis & subtilitatis studiosi nil se protulisse ducebant, nisi prolata quid mirificum redolerent. A quo quidem pravo & inani studio Hebræorum historia evasit incolumis. Nil hæc gravius, nil.

k Ita Tacit.  
Lucan. Q.  
Cur. Plutar.  
Plin. Mela,  
alii.

l Joseph. l. x.  
contr. Appion.  
p. 1034. d.

m Clem. Alex.  
l. i. Strom.  
n Themist.  
Orat. 20.

\* Plin. l. 7.  
c. 56.

o Strabo. l. i.  
p. 18. 19.

p Genes. 12. 5.

nilque maturius. Dixerim melius: nil verius, nil sapientius, nil venerabilius Divino Spiritu, quem primum ejusdem Authorem scimus, cujus sanè virtute suavitas, lumen, & vis per totam undique historiam effluunt, atque redundant. Dulciori, atque præstantiori præ Sacris Authoribus methode nemo quidquam recensuit; neque ulla monumenta præ Hebræorum historiis veritatis characteres unquam prætulerunt.

Illud ad nostri Operis scopum spectabat, ut solos Hebræos veræ priorum sæculorum historiæ depositarios, nullumque de iis certè authoritatis monumentum ab Ægyptiis, Chaldeis, Phœnicibus, Sinis, Græcis, & Romanis produci posse ostenderemus. Opere etiam pretium duximus, Ægyptias, Phœnicias, Assyrias, Sinicas, Græcas, & Romanas antiquitates perambuas, & maximis implicatas difficultatibus exhibere, ut Hebræis parum, his verò Nationibus nimium affectos ab errore deduceremus. Inde enim pariter nobis apologiam instituvimus, quòd de iis populis, quorum vetustas in dubium revocari nequit, nonnisi perardè in nostris Lucubrationibus meminerimus. Satis de iisdem in hac Dissertatione produximus, ut quantum posset necessitas postulare, Lectorem erudiremus, quin narrationes nostras interci-

dere, & molestas eisdem, arduasque discussiones intexere cogere. Hæc verò omnia in Dissertatione in Genesim, & de magnis Orientis Imperiis jam adumbravimus.

Qui Mundum in itii immunem putant, & ante Adam homines subsistisse, & alias, præter eas, quas ex historiis novimus, ætatum, Imperiorum, & Religionum vices præterisse opinantur, de suis sibi cogitationibus plaudant. Nos validas ad ea deliramenta probanda rationes ab ipsis exposcimus. Systemata, hypothefes, & æras, inanesque Methodos instituire quis profectò non valeat? Hoc opus, hic labor est, ut nova systemata per solida argumenta defendantur. In novis inventis, in regionibus recens detectis, uno verbo, suæ novitatis characteres mundus undique præfert. Firmiora cæteris monumenta, marmora, nummi, ædificia, inscriptiones, singula omnia mundum non diu antè conditum ostendunt. Artium omnium, quæ humana opus sunt vitæ, originem novimus, eas saltem non nisi diu post completas scimus. Mundi & materis æternitas in utroque systemate, quo Deus primum omnium Principium vel statuitur, vel negatur, neque percipi potest, neque defendi.